

Aleksy Klawek

De pronuntiatione vocis "Jerusalem"

Collectanea Theologica 13/4, 384-387

1932

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej bazhum.muzhp.pl, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

ren, des Grossfürsten Witowt. Auch hat er es vorgezogen, sich unserer Herrschaft anzunehmen und allerlei gemeinkirchliche Anordnungen zu treffen. Hiemit teilten wir zu dem armenischen Bischof Oganés die armenischen Kirchen und ihre Pöpen in unserem ganzen Lande. Frei wird er walten seines bischöflichen Rechtes über die Armenier. Die Residenz weisen wir ihm zu in Sutschava, in unserer Stadt. Welche [ihr] von den Armeniern [seid] tut ihm [seinen] Teil, so wie ihr [es] uns tun würdet in unserem Lande, im moldavischen. Welche ihn nicht hören würden, wir werden ihn bestrafen mit seiner eigenen Hand. Und darauf meine Bürgschaft, des oben genannten Woiwoden Olexandro und die Bürgschaft meines herrschaftlichen Bruders Bogdan und die Bürgschaft aller moldavischen Bojaren, der kleinen und der grossen. Und geschrieben in Sutschava unter unserem Siegel, im Jahre 6909, am 30. Juli durch die Hand des Bruders).

Eine eingehende Würdigung dieser Urkunde wäre lohnenswert.

Warszawa

Z. Obertyński.

DE PRONUNTIATIONE VOCIS „JERUSALEM“.

Urbs celeberrima et notissima, quae est caput Terrae Sanctae, secundum textum Bibliae latinae appellatur: *Jerusalem*, qua forma vocis ex Vulgata sumpta omnes fere populi utuntur. Attamen in originali lingua hebraica, si sequimur textum masoreticum, legimus *jerushalaim* vel *jerushalajim*, ita ut juste hodierni judaei pronuntient: „*Jerushalajim*“ vel inter ashkenazim: „*Jerishulajim*“.

Forma originalis sonat *j-r-sh-l-m*, quod in dubium vocari nequit, cum quinquies tantum scriptio longior littera *j* interiecta: *j-r-sh-l-j-m* in bibliis occurrat. Inquirebant grammatici, quæenam fuerit vocalis in ultima syllaba, utrum *e* an *ai*, sed non invenio auctorem, qui voluerit hodie negare primitus syllabam finalem ornatam fuisse vocali *e*, cum ex omnibus versionibus Sacrae Scripturae manifeste pateat antiquos pronuntiasse: *Jerushalem*. In textu aramaico adest lectio *jerushlem*, in textu graeco versionis LXX et in Novo Testamento *Ἱεροσολήμ*, in Syriaco *Orishlem*, in Latino *Jerusalem*. Temporibus hellenisticis praeferebatur forma graecisata *Hierosolyma* vel *Solyma*, in qua littera *y* indicat mutationem quandam pronuntiationis. Cum inter omnes constet illa aetate graecam litteram vocalem *η* sonum litterae *i* longae accepisse — quod vulgo ithacismum vocant — dubium esse nequit, quin Graeci saepius *Ἱεροσολήμ* Ierusalim pronuntiauerint, quae forma fuit origo longioris formae declinationi graecae adaptatae *Ἱεροσόλυμα* = *Hierosolyma*.

Formis diversis enumeratis interpretari conabimur, quod maxime nostra interest, qua lege factum sit, ut priori pronuntiationi *jerusalem* substituta sit altera *jerushalajim*. Antea vero quaerendum est, quo tempore haec mutatio pervulgata sit, sed quia nullum adest certum testimonium, suspicari tantum licet hoc tertio vel secundo saeculo post Christum natum factum esse, scilicet illo saeculo, quo textus masoreticus definitivam redactionem passus est. Verisimiliter cl. Beer errat ¹⁾, opinans saeculo VI vel VII Judaeos sic pronuntiare coepisse, nam antequam textus hebraicus vocalibus ornatus est, iam forma longior in usu erat, uti erui potest a lectione *j-r-sh-l-j-m*, unde sequitur pronuntiationem hanc saeculo tertio adscribendam esse.

Etsi omnes exegetae duplicem formam vocis Jerusalem adnotent, perpauci tantum dilucidant, quoniam fuerit causa mutationis vocalium syllabae finalis, quod mirum non est, cum explanatio clara et certa praestari nequeat.

Quaenam explicationes adhuc ab exegetis propositae sunt?

1. Dicunt syllabam finalem *-ajim* esse formam dualem (ut *raglajim* pedes); paulatim enim cum crescente plebe urbs in partem veterem et novam divisa esset, nomen Jerusalem novam accepit terminationem, quae aliquo modo indicaret amplificationem urbis ²⁾. Sed quia mutatio vocis introducta est post Hierosolyma diruta, haec hypothesis improbabilis evadit.

2. Idem fere argumentum afferre licet contra cl. Thomsen ³⁾, qui terminationem *ajim* antiquam formam localem esse suspicatur. Quia vero una ex parte non satis perspicuum est linguam hebraicam olim talem formam localem habuisse, altera ex parte Judaei demum temporibus posterioribus nova pronuntiatione utebantur, cum idioma hebraicum vivum esse desiisset, *jerushalajim* esse reliquias antiquae linguae hebraicae negare velim.

3. Evolutionem quandam phoneticam admittunt alii ⁴⁾, scilicet distractionem (Zerdehnung) litterae vocalis *e* eiusque mutationem in diphthongum *ai*, sed difficile est invenire casus analogicos huius evolutionis.

4. Nuper cl. auctores Bauer et Leander aliam sententiam protulerunt ⁵⁾, nempe autumant *jerushalajim* esse formam dialecticam usitatam praeter pronuntiationem consuetam apud Judaeos quosdam palaestinos. Haec sunt verba illorum: „Da nun hier weder ein lautgesetzlicher Übergang von *e* zu *ai* und noch weniger eine nachträgliche Zerdehnung denkbar erscheint, so haben wir es wohl einfach mit einer falschen Analogiebildung zu tun.

¹⁾ Cf. Pauly-Wissowa IX, 932.

²⁾ E. g. Eduard Koenig, Hebr.-aram. Wörterbuch s. v.

³⁾ Cf. Ebert, Lexikon der Vorgeschichte VI, 162.

⁴⁾ E. g. Meyer in Jewish Encyclopaedia VII, 119: ...the ending „ayim“ being due to a diphthongization...

⁵⁾ Historische Grammatik der hebr. Sprache 519.

Verschiedene Anzeichen weisen darauf hin, dass auf palästinensischem Boden die Aussprachen *ai* und *e* miteinander wechselten, ähnlich wie heutzutage.... Da lag es nun nahe, dass Leute, die gewöhnlich *e* sprachen, denen aber das *ai* vornehmer erschien, wenn sie feiner sprechen wollten, gelegentlich auch an unrechter Stelle für *e* ein *ai* substituierten, also *Jerushalajim* sagten. Diese neue Aussprache, die schwerlich in Jerusalem selbst entstanden sein kann, die sich aber durch ihren feierlichen Klang empfehlen mochte, ist später durch irgendwelche uns unbekannte Einflüsse in der Synagogenlesung Regel geworden“. Sed respondendum esse puto celebres philologos transitum vocalium *e* et *ai* non satis distincte animadvertisse, facile enim e littera *ai* oritur *e*, sed non vice versa, uti res se habet in nostro casu. Similis iuxtapositio vocum *mim* et *majim*, quam indicant glossae cananaeae ex saeculo XIV, nihil prohibet pro modo linguae evolvendae saeculo tertio christiano.

Nonne igitur aliam viam explicationis ingredi licebit? Sententiae adhuc laudatae non satis respiciunt *Jerushalaim* esse formam omnino posteriorem, ortam tempore, quo lingua hebraea iam non fuerit lingua viva, ita ut leges consuetae evolutionis linguarum eam minime tangerent, deinde vero nequaquam rationem habent amoris Judaeorum erga urbem sanctam, qui vix permisisset, ut traditio rectae pronuntiationis aut in oblivionem veniret aut sine causa negligenteretur. Nemo ignorat Judaeos interdum verba Scripturae Sacrae tum rarius in ipso textu tum saepius in adnotationibus marginalibus et paraphrasibus (targumim et midrashim) substitutione aliarum consonantium vel, quod multo facilius erat, vocalium mutasse, ut alius sensus magis conveniens speculationibus eorum construi posset. Quae respiciens, existimo *Jerushalajim* esse artificiosam mutationem pronuntiationis, ut nomen illud accipiat sonum nobiliorem, assimilatum voci *shamajim* = caelum. Omnes facile consentient tales immutationes verborum a Judaeis inde a saeculo secundo adhibitos esse atque eo facilius, si agebatur solummodo de substituendis vocalibus, quae nondum scribebantur. Exemplum notissimum est nomen dei Phoeniciorum *Moloch* (LXX), qui revera appellabatur *Melech*, sed in textu masoretico instructus est vocalibus *o* — *e*, *molekh*, ut habeat sonum peiorem, assimilatum voci *boshet* = ignominia; cui exemplo addo aliud: dea semitica *Ashtarte* accepit a masoretis vocalisationem *ashtoret* eadem ex ratione, ut legentibus in memoriam vocaretur ignominia (*boshet*) idololatriae. Similis casus citatur a Norberto Peters⁶⁾, scilicet Is. 7, 6, ubi LXX interpretes servaverunt textum originale *Tab'el* (hoc est: „bonus Deus“), at masoretae construxerunt lectionem *Tab'al*, quae mutat significationem nominis in: „non bonus“.

⁶⁾ Der Text des Alten Testaments und seine Geschichte 37.

Nemo fortasse dubitabit, quin vox *Jerushalajim* mutatione vocalium peracta sonum sollemniozem acceperit pro auribus Judaeorum, quippe qui euphoniā recitationis textus sacri summopere curabant. Sed haec ratio introducendae melioris euphoniae non suffecisset rabbinis ad promovendam pronuntiationem novam, cum nimis traditioni instarent. Quaerendum igitur est, qua fortiore ratione moti hoc fecerint. Ur iam supra dixi, vox Jerusalem assimilata est voci *shamajim*, quod quidem indirecte probari poterit, cum plura adsint testimonia, ex quibus appareat compositionem urbis sacrae cum caelis omnino menti Judaeorum correspondisse. Pia inter illos vigeat traditio in caelis adesse novam Jerusalem caelestem, ita ut associatio ambarum idearum mentibus omnium inhaereret. Textus respectivi collecti a Strack et Billerbeck ⁷⁾ perlucide nobis probant, quam viva haec iuxtapositio fuerit. Primo igitur pronuntiatio assimilata est, deinde etiam scriptio (cum *j* in ultima syllaba).

Poterit quispiam obiicere alium esse numerum syllabarum in voce *jerushalajim* et *shamajim*, quae differentia impediatur, quominus aequiparatio nominum sit plena. Sed rabbi in his ludibriis verborum non necessario numerum syllabarum respiciebant, uti patet ex memorata iuxtapositione *‘ashtoret* et *boshet*. Insuper cum restrictione quadam opinionem profero forsitan eos etiam pro primis syllabis initialibus analogiam invenisse. Etenim traditio iudaica distinguebat septem caelos, quorum quartus erat locus destinatus pro Jerusalem caelesti et appellabatur „*zebul*“ ⁸⁾. Haec vox possidet easdem litteras vocales ac prima pars nominis *Jerushalajim*.

Qui modus cogitandi et procedendi nobis quidem alienus et obstrusus esse videtur, sed rabbi illius aetatis se hac via sublimiorem et profundiozem scientiam adipisci credebant et sine ullo dubio persuasissimum habebant se mutatione vocalium effecta nomini urbis suae capitalis formam quandam caelestem attribuisse neque ideo aegre erat animis eorum, quod a traditione aliquatenus discessissent.

Quaerenti mihi, num in fontibus talmudicis adsit mentio, cur pronuntiatio nominis *Jerushalajim* immutata sit, cl. civis Leopoliensis N. Siegel respondit talmudem nihil de hac materia dicere neque traditionem iudaicam oralem ullam notitiam possidere. Attamen silentium Judaeorum hypotesi nostrae non obstat, cum testimonia talmudica etiam desint pro multis aliis quaestionibus aliunde magna cum probabilitate dilucidatis (v. g. influxus verbi *boshet* in vocalisationem nominis *‘ashtoret*).

Leopoli

Alexius Klawek.

⁷⁾ Kommentar zum Neuen Testament aus Talmud und Midrasch III 573.

⁸⁾ Ibidem 531 s.